

LECTORI,
Operis hujus historici, egregia operum & judi-
ciorum divinorum documenta exhi-
bentis S

His sub MAURITIO cum Titius iret ab oris,
Seq; GEORGIACO crederet inde lari;
Quosque pios testor, lacrymarum flumine quanto
Imbuerint laceras foemina virque genas.

Nam tanti jactura viri, quo doctior ullus
Non erat aut melior, nonne dolenda fuit?

At nunc o nostri date jubila, plaudite nostri,
Titius en iterum, quem doluistis, adest.

Fallimur? en dextram, calidos en flamine libros,
Quos non ore potest, erudit ecce manu,
Sicque manus precibus quæ nos huc usque juvabat,
(Et labor is manuum primus, amare preces.)

Jam nos doctrinam simul adjuvat, auspice CHRISTO,
(Magnus & is manuum, scribere docta, labor)

Quisquis es, hos libros avido lege pectoris æstro,
Nunquam te TIT I poenituisse potest.

Quisquis es, huic iterum devotam porrige dextram,
Nec te votorum poenituisse potest.

Quisquis es, has etiam doctrinas exprime vitæ,
Nullum poenituit, crede, fuisse probum.

*Paulus Röberus D. Prof.
Publ. Past. & Su-
perint. Witteb.*

In lucem jam tot foetus prodire recentes,
Ringeris, & laceras Zoile, dente minax?
Quid si sint tales, quales cum laude probamus,
Exscribi hos flores; est (reor) artis opus.

EA

*i.e. Cona-
ria Archi-
episcopa-
tus Magd-
vocatus
Hecksta-
dium Co-
mitum
Mans-
feldi.*